



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

27 Ordinatus sine licentia Minoribus, non est suspensus, nec beneficijs priuatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



inclinat, verum ordinem accipit, & sufficientem intentionem ordinis recipiendi habuisse censetur, nō solum quia magis in partem affirmatiuam inclinat; sed etiam quia sufficit, vt habeat intentionem bonē, vel malē ordinari, imo quod velit accipere etiam metu mortis affectus. Innocen. in c. maiores. §. Item queritur, de Baptis.

DECISIO XX.

Ex conf. 18. alias 23.

20 **O**btinens literas dimissorias ad quoscunque ordines assumendos sub titulo patrimonij, quod mētur habere sufficiens ad honestē viuendum, quarum testimonio ordinatur, si defectus ille sit notabiliter insufficiens, malē ordinatus censi debet, & suspensionem inductā per Pīū II. in extrauag. cum ex sacros. contra eos, qui se ordinari faciunt sine literis dimissorijs, incurrit, cum antiqua etiam iura requirant, vt sacris ordinandus habeat bona, vnde commode sustentari possit; c. episcopus e. tuis, ca. cum secandum, de prāben. nec sufficit praestari simplex, vbi quid qualificatum requiritur, cap. notificasti, 33. quest. 3.

DECISIO XXI.

Ex conf. 19. alias 27.

21 **C**apitulum licet Sede vacante literas dimissorias dare non possit, ex Concil. Trid. sess. 23. c. 10. de ref. literas tamen testimoniales idoneitatis dare potest; quae tamē non sufficiunt, vt quis ab alieno episcopo ordinari possit, cum ordinari iuste nullus valeat, nisi probitas, & mores eius ordinarij sui testimonio commendentur, vt ait Concil. Trid. sess. 23. c. 8. de ref. Quod si quis sine literis sui ordinarij, vel ante aetatem, minores tantum ordines suscipit, non incurrit suspensionem ipso iure extrauag. cum ex Sacrorum, c. quod translationem, ca. vel non est compos. de temp. ord. cum illud solum ordinatos ad ordines sacros, sine literis dimissorijs, vel ante aetatem, suspendit, potest tamen talis per iudicem suspendi.

DECISIO XXII.

Ex conf. 29. alias 28.

20 **O**rdinatus ad Minores ordines de licentia Capituli Sede vacante, nullo priuilegio gaudere debet, vt aserit Concil. Trid. sess. 7. c. 10. de ref. non tamen ipso iure incapax redditur beneficij ecclesiastici, sed per sententiam inhabilis effici potest, cum verba futuri temporis (quale est verbum gaudeat) penam ipso iure non infligant. Gl. in reg. in pānis de reg. iur. in 6.

DECISIO XXIII.

Ex conf. 21. alias 41.

23 **E**piscopus quamuis ratione priuilegij ante Conciliū Tridentinum obtenta Sede Apostolica ordinandi extra suas dioceses etiam sine licentia Episcopi loci ordines extra territorium suum conferre non potest; ex Concil. Trid. sess. 6. ca. 1. de ref. cum licentia tamen & consensu episcopi loci illius, non solum subditos suos, sed etiā subditos episcopi loci, & alios quoscunque literas dimissorias suorum episcoporum afferentes, iuste ordinare potest, sicut & episcopus loci illius ordinare potuisset, c. Pontifi. 7. q. 1. cum iurisdictioni omnis nō solum voluntaria, sed etiam contentiosa, in alieno territorio, de consensu iudicis illius, & partium quas tangit, exerceri possit, ca. 2. de const. in 6. nec alicui exinde prauidium fit.

DECISIO XXIV.

Ex conf. 22. alias 36.

24 **O**rdinarius religiosorum est Praelatus, seu superior eorum, & ad ordines suscipiendos literas dimissorias dare potest, ita Conc. Trid. sess. 23. c. 8. de ref. c. cum ab ecclesiarum, de off. ord. cum in eos iurisdictionem ordinariam habeat, & quasi episcopalem, nec sine literis eius religiosus ordinandus est.

DECISIO XXV.

Ex conf. 23. alias 37.

25 **A**bbas exemptus quamuis Regularibus suis ad ordines suscipiendos literas dimissorias dare possit, ex Concil. Trid. sess. 23. c. 10. de ref. illas tamen famulo suo seculari ad assumendum ordines Sacros ab alieno episcopo dare non potest, etiam si famulus iurisdictioni eius temporali, & ecclesiae subditus sit, & dando illas, per annum ab officio, & beneficio ipso iure suspensus est, vt ait Concil. Trid. vbi sup. & celebrando infra annum sit irregularis, c. 1. de re iud. in 6. & fructus illo anno perceptos, saltem illos, qui sibi ad vitam sustentandam non fuerunt necessarii, ecclesiae restituere tenetur, Panof. cap. pastoralis, §. verum, de appell.

DECISIO XXVI.

Ex conf. 24. alias 11.

26 **E**piscopus familiarem suum alienum etiam triennale prima tonsura ordinare non potest, nisi ei statim beneficium conferat, prout aserit Conc. Trid. sess. 23. c. 9. de refor. cum prima tonsura sit ordo simpliciter secundum communem vsu loquendi, secundum quem dicitur ordo clericalis, qui seruandus est in vsu verborum, arg. cap. cum contingat, de aet. & qual. vnde & Concilium praefatum prohibens Episcopis alienum familiarem ordinare, illis etiam primam tonsuram conferre, censetur prohibere, nisi ei statim beneficium tribuat. Et licet sic ordinatus ab alieno episcopo sine veris literis dimissorijs, & ordinans peccet, & puniri possit, non sunt tamen ipso iure excommunicati, aut suspensi, sed suspendendi, cum hoc nullo iure probetur; nulla autem censura, vel irregularitas ipso iure incurritur, nisi id aliquo iure exprimat.

DECISIO XXVII.

25	alias	31
26		5 de cler. excom. ministr.
32		30
33		29
in Antiq. in Nouis.		

27 **L**aicus sine literis dimissorijs, vel cum falsis seipso efficit ab alieno prima tonsura, & minoribus ordinatus, & ab eo beneficium accipiens, nec ipso iure suspensus est, nec ordinis executione caret, c. Quod translatione, & ca. vel non est compos. de temp. ord. neque beneficio adepto priuatus censetur, quamuis suspendi potest, & post talem suspensionem inhabilis erit ad beneficia, donec episcopus eius ordinarius ratam habeat ordinationem male ab alieno factam, qua ratificatione habita, remanebit habilis tam quoad ordines alios suscipiendos, quam quoad alia beneficia, c. Lugdunensis, 9. q. 2. & c. Nullus, de tempo. ord. in 6.

[Quamuis olim vera fuerit Doctoris sententia, nūc tamen ex Bulla Sixti V. quae incipit, Sanctum, & salutare, edita anno Dominicae incarnationis Millesimo quingentesimo octuagesimo octauo, Nonis Ianuarij, Pontificatus sui anno quarto, ordinatus prima tonsura, aut maioribus, absque veris dimissorijs sui ordinarij literis, ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuo suspensus est, & si in illis ministerate presumpserit, irregularis efficitur, & omnibus, & quibuscunque per eum in titulum, commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officijs, & beneficijs ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, aut regularibus, priuatus est atque ad illa, & alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda in perpetuum inhabilis est, & insuper si clericus regularis fuerit, etiam voce actiua, & passiua, ipso facto priuatus est, nec ab alio quam a summo Pontifice ab irregularitate sic contracta, etiam si crimen penitus occultum fuerit, dispensari, aut a suspensione illa absolui valet.

Sed



Sed quia constitutio hæc Sixti V. nimis rigida multis visa fuit, & scrupulos varios tam promouentibus, quam in eis, qui promoti fuerunt, ingenerauit, eam postea Clemens Papa VIII. noua quadam constitutione, quæ incipit. *Romanorum Pontificem*, edita anno Domini 1595. prid. Kal. Martii, ad terminos Sacrorum Canonum, ac Constitutionis felicitis record. Pij Papæ II. quæ incipit. *Cum ex Sacrorum ordinum*, & ad dispositionem decretorum Sacri Tridentini Concilij restrinxit, & reduxit, nec non censuras & penas in eisdem Sixti literis moderatur & tollit.

Circa hæc tamen Bullam moderatoriam Clem. VIII. Notandum est, quod qui in pæn. s. præfatæ Bullæ Sixti V. antequam hæc Clementis VIII. Constitutio edita, & promulgata fuerat, inciderunt, a penis illius Bullæ, virtute constitutionis Clementis VIII. non liberantur, sed earum abolitionem, & dispensationem a Summo Pontifice petere, & obtinere tenentur, hæc secus ac si Bulla hæc Clementis VIII. edita non fuisset. Quamuis enim censuras & penas in eisdem Sixti literis contra sic delinquentes, inflictas, moderatur, & aboleat in futurum, antea tamen incurtas non tollit, neque earum abolitionem, aut dispensationem moderatur, vt ex ipsius Bullæ verbis manifestum est.

DECISIO XXVIII.

Ex consilio 27. alias 12.

**E**pisopus licet familiarem suum triennalem, alias sibi non subditum (conferendo ei statim beneficium) ordinate, & illi literas dimissorias ad ordinandum a quocunque dare possit, ex Concil. Trid. sess. 23. c. 9. de ref. super interstitijs tamen temporum præsertim inter Diaconatum & Subdiaconatum, aut Diaconatum & presbyteratum, vt non fertatis illis ordinari possit, dispensare nequit, ex eodem Concil. Triden. sess. 23. c. 11. 13. & 14. quia cum id Episcopus etiam suus superior, & ordinarius facere non valeat, nisi pro utilitate, ac necessitate Ecclesiæ suæ multo minus huiusmodi Episcopus extraneus, cui non est subditus familiaris triennalis, videtur iudicare posse de necessitate, & utilitate ecclesiæ non suæ; præsertim cum potestas ordinandi familiarem suum triennalem non subditum, & dandi literas dimissorias, exorbitans sit a iure communi, & dispensans potestate dispensandi super interstitijs, vt proinde ad illam non sit extendenda, c. Quæ a iure, de regu. iur.

[Hæc doctrina auctoris multo magis certa est post Bullam Sixti V. quæ incipit, *Sanctum & salutare*: relatum supra, vt dispensare valeat super interstitijs temporum, alias non poterit sine licentia Papæ dispensare.]

DECISIO XXIX.

Ex cons. 28. alias 13.

**E**pisopus etsi familiarem suum triennalem ordinate possit, conferendo ei statim beneficium, vt habetur in Conc. Triden. sess. 24. c. 9. de ref. si alias habilis sit, cum eo tamen si sit illegitimus, aut alio modo inhabilis dispensare non potest, aut ad minores ordines, aut ad beneficium etiam simplex habilem facere, cum potestas ordinandi, & potestas dispensandi seu habilitandi ad ordines diuersa sint, & a separatis ab vna ad alteram non fit illatio, ca. Ad audientiam, de decim. nec priuilegia extra casum expressum extendi debent. Porro, de priuilegiis, dist. 3. præsertim cum Concilium Trid. in d. c. 9. non faciat familiarem triennalem subditum Episcopi, cui seruit, nisi quoad collationem ordinum, nec aliam dat ei super illius iurisdictionem, vt ex tenore ipsius constat.

DECISIO XXX.

Ex cons. 29. alias 34.

**O**btinens a suo Ordinario literas dimissorias vt a quocunque Episcopo communionem Sedis Apostolicæ habente ad Subdiaconatus ordinem se promoueri facere possit, si, quoniam in dictis dimissorijs nulla fiat mentio tituli, ad quem esset ordinandus pro eius supplemento eodem ordinario ordinandus adeat, qui ei responde-

ri iubet, ne ordines ab alio Episcopo acciperet, eo quod ipse in secundis proximis ordinationum temporibus eos tenere vellet, & cum ordinaret ipse verò dilationis impatiens cum dictis dimissorijs alium Episcopum adeat, qui eum patrimonium habere, & parentes eius diuites esse sciens, ordinem Subdiaconatus ei confert, nec per surreptionem ordinatus est nec suspensus, cum per huiusmodi verba Episcopus eius ordinarius literas dimissorias concessas nequaquam reuocasse censetur, vnde consequenter sine legitima sui ordinarij licentia non est ordinatus.

DECISIO XXXI.

**P**atrimonium, ad cuius titulum quis ordinatur, licet in rebus immobilibus esse debet, & non in mobilibus, non tamen ob id incurritur pœna, si quis ordinatur ad patrimonium in mobilibus; curare tamen debet sic ordinatus, vt quam primum titulus ille honorum mobilium in bona immobilia ad mentem Concilij Tridentini sess. 2. c. 2. de ref. conuertatur.

DECISIO XXXII.

Ex cons. 30. alias 39.

**E**pisopus laicum alterius diocesis, qui sibi ratione beneficij, vel domicilij non subest, iuste sine licentia Episcopi loci illius ordinare non potest, cum Episcopus non nisi in subditos suos iurisdictionem spirituales habeat, collatio tamen ordinis ab aliquo Episcopo facta, tenet, nec sic ordinatus ad primam tonsuram, vel minores, ipso iure suspensus est, quamuis suspendi potest, cap. 2. de temp. ord. in 6. sic autem ad sacros ordines ordinatus ipso iure suspensionem incurrit, Extrau. cum ex Sacrorum, Pij II. & celebrando ante absolutionem sit irregularis.

DECISIO XXXIII.

Ex cons. 31. alias 7. de filij. præb. in Nouis.

**L**icet ante Concilij Tridentini confirmationem anno 1564. factam Bulla Pij IV. quæ incipit. *sicut ad Sacrorum*, 1564. constit. 106. Capitulum Sede vacante absolute literas dimissorias ad ordines ab alieno Episcopo suscipiendos dare poterat c. cum nullus, §. Episcopi, de tempo. ord. in 6. post eiusdem tamen Concilij confirmationem eas amplius concedere non potest, vt apparet ex eod. Conc. Trid. sess. 7. c. 10. de ref.

DECISIO XXXIV.

**S**icut Episcopus ex iurisdictione ordinaria cum illegitimo ad ordines minores, & beneficium simplex dispensare potest, c. 1. de fil. presb. in 6. ita etiam & Capitulum Sede vacante, cum eodem ad eosdem effectus dispensare valide potest, cum Capitulum Episcopo regulariter in omnibus, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus expressis, succedat, vt ait Pan. in c. cum olim, de maior. & obed. nec in vlla parte iuris casus dispensandi cum illegitimo a Capitulo excipitur.

DECISIO XXXV.

Ex cons. 34. alias 25.

**H**abens literas dimissorias a suo Ordinario, vt a quocunque malit Episcopo ordines assumere possit, etiam extra tempora iuris, si Papa id sibi concederet, & etiam si Papa totum negotium sibi remitteret, & Papa concedat, vt possit ordinari extra tempora ab ordinario tantum; talis etiam ab alio, quem a suo ordinario extra tempora ordinari potest; Nam in casu proposito, verba illa *Tantum ab ordinario*, intelligenda sunt, vel ab ordinario, vel ab alio de consensu, & approbatione, & cum dimissorijs eius; eo quod ordinari quem ab ordinario suo, vel ab alio cum dimissorijs, vel de licentia eius, quod propositum similia, & equipollentia, & in iure communi equiparata sunt; B. 2. c. 1. &